



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Nucleus Casuum Conscientiæ Sive Brevis Notitia Eorum  
quæ scitu vel necessaria, vel valde vtilia sunt  
Confessarijs in primo ingressu ad audiendas Confessiones**

**Agostini, Giuseppe**

**Coloniae Agripp., 1644**

De Sacram. Baptismi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41767**

## DE SACRAMENTO Baptismi

### *Definitio, & Necessitas.*

1 **B**aptismus primum ex prædictis Sacramentis, qui Ianua ad cetera Sacramenta dicitur, quia sine illo re ipsa suscepto, neque validus, neque licitus est accessus ad reliqua Sacramenta; sic solet breuiter describi ex Magistro senten. in 4. dist. 3. & S. Th. 3. p. 9. 66. art. 1. Est ablutio corporis exterior sub præscripta quadam verborum forma: subintelligitur in hac descriptione genus commune ad reliqua Sacramenta, nempe Baptismus est Sacramentum consistens in ablutione corporis, &c. addi etiam potest explicitè veluti vltima eius differentia, nempe ordinatum ad regenerationem spiritualem.

2. Hoc Sacramentum est necessariū ad salutem consequendam omnibus in lege Euangelica, & quidem in re ipsa, si adhiberi possit, sin minus saltē in voto: & hoc pacto dicitur necessarium necessitate medijs in re, vel in voto. Pro quo  
aduer-



aduerte, quòd aliquid dici potest necessariũ ad salutẽ dupliciter. Primo necessitate præcepti tantũ. Secundo necessitate mediũ, & præcepti: primum dicitur illud, ad quod adimplendum, vel omnes, vel aliqui in quibusdam casibus tenentur, sub pœna peccati mortalis, ex hoc præcise, quia res illa cadit sub tale præceptum, & ad vitandum tale peccatum: at verò necessariũ necessitate mediũ dicitur illud, quod à Deo institutum est, vt habens causalitatem aliquam, & influxum in aliquam rem omnino necessariam ad salutem, & quod per se aliunde suppleri non possit: & propterea dicitur medium necessarium: vndè id, quod est tantũ necessarium necessitate præcepti; ideo est necessarium, quia præceptum est: at verò è cõtra id, quod est necessarium necessitate mediũ, ideo est præceptum, quia est medium necessarium, ratione sui influxus & causalitatis: v.g. si aliquis habeat rem alienam restituendam; hæc obligatio ad restituendum, dicitur solum ex præcepto, & restitutio dicitur solum necessaria necessitate præcepti, quia ad illam homo tenetur



tur tantum vt impleat præceptum Iustitiæ, alioqui peccabit, & ponet impedimentum suæ salutis: vnde si in aliquo casu excusaretur à peccato non teneretur ad restitutionem. At verò Baptismus est res instituta à Deo vt medium vnicum per se ad remissionem peccati originalis, causans, & influens in hanc remissionem, vnde habet vt sit etiam necessarium ex præcepto, quia homo tenetur adhibere media necessaria ad suam salutem. Cum ergo dicitur, quod Baptismus est necessarius ad salutem in re, vel in voto, semper intelligitur vt medium influens institutum, &c. idem dicitur infra de Sacramento Pœnitentiæ respectu hominis lapsi in peccatum mortale post Baptismum.

*Materia, & Forma.*

3 **M**ateria Baptismi duplex est, remota, & proxima: remota est aqua naturalis, id est, quæ sit verè aqua elementaris, siue sit ex fontibus, ex fluminibus, ex puteis, ex pluuia, ex mari, &c. vnde nullus alius liquor, etiam si sit aquæ



aquæ similis, & vocetur aqua, ut est aqua rosacea, &c. est materia apta ad Baptismum; imo ipsa aqua naturalis non debet esse ita permixta alijs rebus, ut iam non censeatur esse communi usu aqua, siue tandem sit calida, siue frigida, siue turbida, &c. nix autem, & gela, nisi aliquo modo liquefiant, non sunt apta materia, quia non sunt apta ad abluendum.

4. Materia vero proxima Baptismi est ablutio ex aqua: debet enim aqua ita tangere corpus baptizati, ut dicatur abluere, etiam si sit parua ablutio, dummodo sit sensibilis: potest autem hæc ablutio fieri tripliciter. Primo per immersionem alicuius partis corporis baptizandi in aquam. Secundo per effusionem aquæ in corpus eiusdem. Tertio per aspersionem: qua in re seruandus est usus propriæ Ecclesiæ, sicuti apud nos est per effusionem, nisi necessitas alium modum exigeret: ubi aduertendum est, quod ordinariè loquendo aqua debet esse benedicta, & pars corporis abluenda debet esse caput, aut aliqua pars principalis: & aliter facere extra casum necessitatis non licet sine peccato graui: in  
casu



casu verò necessitatis, quælibet aqua, & quælibet pars corporis sufficit. Quando verò in aliquo casu dubio sit repetendus Baptismus sub conditione, consulantur Doctores supra citati.

5. Forma Baptismi consistit in illis verbis, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen. Ita in Ecclesia latina (nam in græca dicitur: Baptizetur seruus Christi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: de quo nihil hoc loco.) Omnes ille particulae sunt de essentia formæ, præter illas, Ego, & Amen, & aliqui addunt particulam, In, quæ tamen non sunt omittenda. Et quidem in Baptismo solemniter erit mortale omittere. Illi formæ nulla debet fieri additio, nec variatio, aut transmutatio, aut interruptio, tales, quæ sensum necessarium ad illam formam destruant, aut alium ritum ab eo, quem intendit Ecclesia, introducant: sic enim non perficietur Sacramentum, & erit graue sacrilegium: leuiiores verò defectus quamuis sint omnino vitandi in materia tam graui, non destruent Sacramentum, & pro qualitate defectus, fiet iudicium de quali-



qualitate peccati. Lege Toletum *lib. 2. cap. 19.*

6. Ablutio, quæ est materia, & prolatio verborum, quæ est forma non ita scrupulosè debent esse simul, vt eodem momento vtraque incipiat, aut absoluat: hoc enim nullo modo est necessarium, sed satis est vt non finiatur ablutio prius, quam incipiat forma verborum, aut non finiatur forma, prius, quàm incipiat ablutio, sed saltem quoad aliquas sui partes sint simul. quòd si forte contingat, vt statim finita ablutione, incipiat forma verborum, aut finita forma, statim incipiat ablutio, ita vt moraliter dici possit fuisse simul, perficietur Sacramentum: non autem si longiori tempore vna separetur ab alia; nam in hoc Sacramento forma significat materiam, vt præsentem: dicitur enim, ego te baptizo: debet ergo Baptismus, seu ablutio tunc esse, cum adest forma, vt dictum est.

### *Minister.*

7 **M**inister huius Sacramenti per se primò, & principaliter est solus Sacer-



Sacerdos: & quidem ex officio solus Parochus, (quo nomine maximè etiam venit Episcopus) & ex eius commissione, aut defectu quilibet Sacerdos, & in aliquo casu etiam Diaconus, & nulli alteri potest id committi extra casum necessitatis, nec illis licet absque graui peccato baptizare sine solita solemnitate, nec extra Ecclesiam, nisi in necessitate: exceptis filijs magnorum Principum, ubi est is vsus, vt in proprijs domibus baptizentur: & si aliquis absque legitima auctoritate baptizet, grauiter peccat; non est tamen excommunicatus, nec irregularis, semper intelligendo extra necessitatem, extra quam nulli alteri licet sine graui peccato baptizare: quamuis si baptizaret cum debita materia, & forma, & intentione, vt supra, validus esset Baptismus, nec contraheret irregularitatem: atque in his conueniunt communiter Doctores.

8. In casu extremæ necessitatis, quando scilicet est probabile periculum, ne aliquis moriatur sine Baptismo, nisi statim baptizetur; quilibet homo habens vsum rationis, & sciens debitam

mate-



materiam, & formam applicare cum debita intentione, potest validè, & licitè baptizare secundum Ecclesiæ traditionem, quicumque ipse sit siue Clericus, siue Laicus, siue masculus, siue fœmina, siue bonus, siue malus, siue fidelis, siue infidelis, &c. Notant autem Doctores, quòd si potest, debet seruari hic ordo, vt Parochus, & Pastor præferatur alijs: Sacerdos Diacono: Diaconus Subdiacono: hic alijs Clericis in minoribus: Clericus Laico: Fidelis, Infideli: & Vir Fœminæ: non excommunicatus excommunicato, &c. Quod si aliqua rationabili causa hic ordo seruari non posset; fiat quantum potest, v. g. nullo præsentè Sacerdote baptizet Diaconus, &c. Similiter si præsens Sacerdos nolit baptizare, aut non possit, aut si præsens Clericus nolit, aut nesciat; succedat Laicus: & si honestas id non ferat, vt contingere solet, quando puer baptizatur dum egreditur ex utero matris; baptizet fœmina, præsertim obstetrix. Quando igitur suppetit rationabilis causa, aut necessitas non seruandi talem ordinem, nullum est peccatũ; non seruare, neque necesse est,

vt in



vt in tali casu minister sit in gratia, quod est necessarium in Ministro solemniter baptizante.

9. Disputant hic Doctores vtrum peruertere talem ordinem sine causa, aut necessitate, sit mortale. Toletus *libr. 2. cap. 20. num. 8.* videtur docere non esse mortale. Alij communiter docent in aliquo casu esse mortale; vbi scilicet inuersio talis ordinis inferret notabilem iniuriam, vel Sacramento, vel alijs quibus suo ordine de iure competeret: v. g. si præsente, & volente Parocho Laicus se illi præponeret, aut quid simile: vbi tamen in peruersione huius ordinis solum esset leuis offensio; non esset nisi veniale. Similiter si in aliquo repentino casu, in quo vix solet esse locus consultationi peruerteretur hic ordo, ex aliqua inadvertentia, aut animi perturbatione, etiam si intersit aliqua negligentia; existimarem non esse mortale. Legite Filliucium *de Sacram. tract. 2. cap. 4. num. 82.* Coninch *quest. 67. dubio 2.*

10. Similiter circa Ministrum huius Sacramenti aduerti debet quod nemo potest seipsum baptizare; item ille idem, qui



qui profert verba formæ, debet appli-  
re materiam, & non vnus materiam,  
& alter formam. Similiter si vnus ba-  
ptizat non debet simul alius eundem  
baptizare; hoc enim nulla necessita-  
te coherere potest: quamuis si  
casus contingeret, ita vt vterque per-  
ficeret Baptismum prorsus in eodem in-  
stanti, esset validus Baptismus: si tamen  
vnus prius perficeret; hic solus baptiza-  
ret. Sed hæc dicuntur ad vberiore[m] do-  
ctrinam, non quia Minister huius Sacra-  
menti his opinionibus irretiri debeat,  
sed, sequi debet viam ordinariam.  
Item potest vnus simul baptizare mul-  
tos in casu necessitatis per asperisionem,  
dicendo. Ego vos baptizo, &c.

*Subiectum Baptismi.*

II **S**ubiectum Baptismi, seu capax Ba-  
ptismi est quilibet homo non Ba-  
ptizatus, siue ante, siue post vsu[m] ratio-  
nis; & quidem de filijs Christianorum  
constat ex communi vsu Ecclesiæ non  
olum posse, sed debere baptizari nõ ex-  
pectato vsu rationis, etiam inuis ipso-

**B**

rum



rum parentibus, si id contingeret: nec ex parte puerorum requiritur vlla dispositio, sed sufficit esse viuos. Idem iudicium est de his, qui perpetuo sunt amentes, nam in hoc comparantur pueris, etiam si sint adulti, & senes: quod si non fuerint perpetuò amentes, dicendum est sicut infra de ceteris.

12. De filiis verò non Christianorum, cum etiam certū sit esse capaces Baptismi, & si baptizentur Baptismum habere suum effectum, etiam inuitis parentibus, aut ijs, qui loco parentum sunt; quæri tamen solet, an liceat illos hoc pacto baptizare ante vsum rationis: nam post vsum rationis, si ipsi pueri velint, baptizandi sunt, licet inuitis parentibus: qua in re hæc commaniora esse solent apud Doctores. Primo si infideles non sint sub dominio Principum Christianorum, non licet eorum pueros ante vsum rationis baptizare, parentibus inuitis, & extra casum extremæ necessitatis puerorum. Secundò si infideles sint mancipia dominorū Christianorum, licere Dominis eorum pueros, etiam ipsi inuitis, baptizare; si vero  
 infi.



infideles sint sub Christiano Principe, politica tantum seruitute; non licere parentibus inuitis, illud facere: si tamen pueri essent in periculo vitæ iam iam morituri; licere eos baptizare, in scijs parentibus. Legi potest Suarius *Tom. 3. in 3. p. 9. 25. art. 3. & seq* & Bonacina de Sacramentis *disput. 2. puncto 6.* vbi etiam aduertit, quod si vnus ex parentibus sit fidelis, alter infidelis; poterit puer baptizari, inuito parente infideli.

13 Circa adultos baptizandos post vsum rationis, aduertendum est, quod in his, præter intentionem recipiendi Baptismum, requiritur aliqua dispositio ad effectus illius recipiendos; & quidem ad recipiendum Characterem, nihil aliud requiritur nisi intentio prædicta, at verò ad gratiam sanctificantem recipiendam, & remissionem peccatorum; requiritur Fides in Christum: vnde debent prius instrui in Fide, saltem circa præcipua mysteria; & quidem si contingeret baptizandum nullum peccatum actuale habere, sed solum originale; nulla alia dispositio re-

B 2      quire-



quireretur: si verò habeat actualia, & propria peccata, requiritur saltem aliqua attritio supernaturalis de illis: de qua attritione dicetur infra in materia de Confessione.

14. Quòd si talis adultus nullam haberet attritionem actualem, aut virtua- lem de peccato mortali, vel certe, quod deterius est, haberet affectum ad ali- quod mortale; hic diceretur indisposi- tus, & accedere cum fictione ad Sacra- mentum, & sic peccaret, nec reciperet gratiam: postea verò recedente fictione per supernaturalem contritionem, aut attritionem; reciperet gratiam Baptismi. Quod si hoc intermedio tempore com- misisset etiam alia peccata mortalia, quæ dici possunt commissa post Baptismum, de quibus etiam necessaria esset saltem attritio; recedente fictione liberaretur per gratiam Baptismalem, non solum ab originali, & alijs peccatis ante Baptis- mum, sed etiam veluti indirectè ab illis post Baptismum: nisi quòd teneretur suo tempore hæc posteriora confiteri, tanquam commissa post Baptismum. Quod si adultus accederet ad Baptismū cum



cum affectu tantum ad aliquod veniale; hic non diceretur accedere cum fictione, nec impediretur effectus Baptismi, nisi in hoc, quod tale veniale tunc non remitteretur, nisi, recedente fictione ipsius.

15 Aliquando incidit dubium an aliquis sit vere baptizatus, aut an sit capax Baptismi, & an baptizandus: qua in re illud vniuersaliter aduertendum est, an talis, de quo dubitatur an sit capax, habeat dispositiones, & qualitates requiritas iuxta prædicta ad Baptismum, sic enim poterit baptizari, si minus, non poterit: v.g. si incidere aliquis in amentiam, vel phrenesim, vel esset sensibus destitutus, & esset in periculo vitæ, nec esset baptizatus; si antea petijt Baptismum, nec retractauit hanc voluntatem, debet baptizari: item si esset mutus, & surdus, & videns alios baptizari, peteret suo modo Baptismum; instruatur in Fide quantum fieri potest, & baptizetur: si nasceretur monstrum, de quo dubitaretur an esset homo, & an esset vnus, vel duo homines; adhibita conuenienti diligentia, fiat, quod prudenter iudicabitur:



& si opus fuerit baptizetur sub conditione, nempe, si es capax Baptismi, ego te baptizo, &c. si vero constet, quod aliquis fuerit baptizatus, sed dubitatur de validitate Baptismi; si dubium sit rationabile, debet baptizari sub conditione: nempe, si non es baptizatus, ego te baptizo, &c. & idem dicendum est si dubitaretur an aliquis sit, vel non sit baptizatus.

### Effectus Baptismi.

16 **E**ffectus Baptismi sunt Character, Gratia sanctificans cum suis virtutibus, & donis, annexis, remissio omnium peccatorum, tam quoad culpam, quam quoad pœnam, aliqua auxilia propriè pertinentia ad gratiam baptismalem, apertio ianux cœlestis, coniunctio hominis cum Christo, ut membri cum capite, subiectio hominis iurisdictioni ecclesiasticæ. De quibus Filiiuccius *de Sacr. trac. 2. cap. 5.* Tolerus *lib. 2. cap. 21.*

*Ritus,*



## Ritus, &amp; Ceremonia.

17 **A**Tque hæc, quæ huc vsque dicta sunt pertinet veluti ad substantiam Baptismi. Præterea verò adhibentur ex præcepto, & consuetudine Ecclesiæ in Baptismo solenni aliquæ ceremoniæ, quæ habentur in Rituali Rom. quas non licet omittere sine gravi culpa extra necessitatem: quod si in necessitate fuerit collatus Baptismus sine illis; sunt postea in Ecclesia adhibendæ, etiã si non reperatur Baptismus: quòd si semel fuerint adhibitæ; etiã si postea cõstaret Baptismũ non fuisse validè collatum, non sunt necessario repetendæ, sed solus Baptismus repetatur: hæc autẽ ceremoniæ, quæ dicuntur Sacramentalia Baptismi, sunt ab Ecclesia institutæ, tũ ob magnitudinem, & reuerentiam tanti Sacramenti, tum ad deuotionem, instructionem, & excitationem fidelũ, & ipsius baptizandi: continent etiam multa mysteria, & vim, & efficaciam contra Dæmonem. De quibus plura Bonacina *disput. 2. de Sacram. in fine*, & alij apud ipsum: *S. Tho. 3. p. q. 66. art. 10.*



18 Præterea ad completum ritum Baptismi solemnis, requiritur susceptor, qui dicitur Patrinus, qui non est necessarius in Baptismo priuato: hic autem potest esse duplex, primo si teneat, & suscipiat puerum solum in ceremonijs antecedentibus Baptismum, inter quas est Catechismus, seu instructio, & dicitur susceptor in Catechismo: 2. qui teneat puerum in ipso fonte Baptismi dum baptizatur, qui sæpe solet esse idem: & hic dicitur absolutè Patrinus, & iuxta Tridentinum non potest esse nisi vnus tantum, vel vna tantum, vel vnus: & vna tantum. Quod si plures essent, teneretur baptizans determinare vnum, vel duos modo dicto, qui soli sunt Patrini: hi autem debent esse tales, qui possint tali officio fungi: non possunt esse infideles, aut non baptizati, aut hæretici, imo nec Monachi: quo nomine probabile est non venire alios religiosos, qui verè Monachi non sint, etiam si sint Mendicantes: incumbit autem Patrinis postea erudire eum, quem suscipiunt in rebus pertinentibus ad salutem, quamuis hæc obligatio vix nunc habeat locum inter Catholicos,



tholicos, quorum filij abunde habent hanc eruditionem aliunde. Quomodo autem in his oriatur quædam cognatio spiritualis, dicetur infra in impedimentis Matrimonij.

*Appendix.*

19 **S**olet ex occasione Baptismi prædicti, qui dicitur Baptismus aquæ, seu fluminis, agi hic à Doctoribus de alijs duobus Baptismatis, nempe de Baptismo fluminis, & Baptismo sanguinis. Primus contingit cum quis adultus antequam actu baptizetur, habens Fidem in Christum, elicit actum perfectæ contritionis, & Charitatis, impellente interiori Spiritu Sancto: hic enim statim sanctificatur cum voto Baptismi. Secundus contingit si aliquis Baptismum fieret Martyr: hic enim, ut supra tetigi, reciperet etiam gratiam sanctificantem. Sed hæc non pertinent ad nostrum institutum. Legi potest S. Tho. 3. p. q. 66.

*art. 11. Atque hæc de Baptismo.*

B §

DE